

mea, quæ promiserunt labia mea, cum anxietas mihi, *Gen. XXVIII, 20. Jud. XI, 30. Psalm. CXVI, 18. LXI, 6. 9.* Factum hoc fuisse votum censet Janfenius (apud Tirinum,) quando numeratō populō pestis grassabatur. Temeritate non omninō caruisse idem illud, licet pium, opinatur *Coppen.* sicut impium è diverso erat illud de non gustandō cibo, &c. ante occisum Paulum, *Actor. XXIII, 14.*

**לְאִבִיר** *forti*, vel juxta Coccejum *heroi Jacobi*: h. e. Jehovæ, qui omne robur Jacobo vel Israëlitis confert, & in quo solo etiam, tanquam invictō & potentissimō Numine, unice confidunt. Vel secundum *Kimchium*, qui auxilium tulit Jacobo in cunctis ipsius angustiis, eripuitque è manu Labanis & Esavi, ostenditque in visione, ne angelum quidem ipsi prevalere, multo minus hominem; itemque in somniō magnificentiam sanctuarii, cum Betheli non conveniant dicta *Gen. XXVIII, 19.* sed sanctuario, tanquam scalæ ad folium Dei pertingenti &c: ubi plura adhuc de adhibitō hoc Dei epitheto hic loci, ejusq; causis. *Aben Esra*: ut Jacob Deo vovit sanctificationem Bethelis, istudque votum exsolvit; ita & David se simili modo obstrinxit huic Numini. Reperitur hæc vox **אִבִיר** præter hunc locum (*vers. 2. & 5.*) non nisi *Gen. XLIX, 24.* roborarunt se brachia manuum ejus (*Josephi*) **אִבִיר** *מִיְדֵי יַעֲקֹב* è manibus potentis Jacobi. *Jes. I, 24.* propterea dicit Dominus Jehova exercituum, fortis Israëlis &c: *c. XLIX, 26.* ego Jehova servator tuus & redemptor tuus **אִבִיר יַעֲקֹב** & denique *cap. LX, 16.* cognosces, quod sum Jehova Salvator tuus, & redemptor tuus **אִבִיר**. *Campensis*: ei, per quem potest, quicquid potest, Jacob. *Bochartus t. 1. hieroz. f. 96.* potentem æquipollere censet Domino, fermè ut *Stadius* canit: *Virgo potens* (i. e. domina) nemorum, & *Virgil. l. 3. Aeneid.* Dii maris & terræ, tempestatumque *potentes*, h. e. præfides & Domini. Res in se clara fatis.

## EXPLICATIO VERSUS III.

**אִם** *si*: h. e. nequaquam. ita namque in juramentis **אִם** ellipticè collocari solet, pro, *si fecero hoc, puniat me Deus.* adeoque conditionalis æquipollet negativæ: *nequaquam.* Integram hujusmodi obtestationem reperis *2 Sam. XIX, 13.* Midrasch h. l. observat, tria sub conditione esse data; terram sanctam, sanctuarium & regnum Davidicum, duo autem sine conditione; librum legis & fœdus Aharonis *Num. XXV, 12.* Observari & hoc potest, ter repeti voculam **אִם** *si.* in honorem scilicet S. S. Trinitatis, *Jes. VI.*

**אֲנִי** *ingrediar*: ] initiaturus nimirum occupaturusque ædificium regium, à me hæctenus extructum; de quō *2 Sam. V, 9. VII, 1. 2. 1. Par. XV, 1.* (sic *Belga & Viniensis.*) Vel hyperbolicè describitur studium maximè intentum, quō quiescere quis nequit, antequam desiderii sui factus fuerit compos. Qua ratione *Glass. l. 5. p. 578.* de ipsō hoc textu ait, sensum esse attendendum, non præcisè verba periphraseos, cum alias insigniter temerarius fuisset David.

**בְּחֵרֶךָ** *tentorium*: ] h. e. habitaculum. Ita namque nomen hoc ex antiquō Patriarcharum, in tentoriis habitantium more, itemque ex Israëlis in deserto vagantis conditione, remansit etiam postmodum, sceniticā isthac habitatione

A sublata: vide quæ notavimus *Prov. XIV, 11.* Chaldaus: si ingrediar ad uxorem meam: (forte quia hæc in lateribus domus, *Psal. CXXXVIII, 3.*) Lucem hæc capiunt ex illis Davidis ad Nathanem *2 Sam. VII, 3.* videsne, quod ego habitem in domo cedrinâ, & arca Dei posita sit in medio pellium? Unde equidem Davidis desiderium clam urens luculenter fatis colligitur.

**עַל־עַרְשִׁי** *super lectum strati mei*: ] ad capeendum videlicet somnum, ceu sequitur. vide, si vacat, *Prov. VII, 16.* ornamentis ornavi, **עַרְשִׁי** *spondam meam.*

**יְצוּעֵי** *stratorum meorum*: ] h. e. in quō culcitæ tomentitiæ aut pulvinaria sterni solent, ad tantō commodius cubandum illic. Ita namque **יְצוּעֵי** pro *stratō* ponitur *Genes. XLIX, 4.* ex quō polluisti **יְצוּעֵי** &c. *1. Par. V, 1.* cum violasset ipse Ruben **יְצוּעֵי** patris sui: *Job. XVII, 13. 14.* in tenebris sternam **יְצוּעֵי** *Psal. XXXVI, 7.* cum recordor tui **עַל־עַרְשִׁי**. *Kimchi* de lectō, tapetibus insignibus, & quales regem decent, instructō: quo ipsō videtur innuere, Davidem noluisse cubare molliter & delicate, antequam impletum esset desiderium.

## EXPLICATIO VERSUS IV.

**אִם־נָתַתְּ** *si dederō somnum*: ] h. e. si concessero. Ita namque *Dandi* verbum permissivè non raro usurpari solet, uti notatum *Psal. CXXI, 3.* non **יְהִי** moveri pedem tuum.

**שֵׁנָה** *somnum*: ] nota, **ה** formare hîc genus fœmininum loco (**ה**) nec esse formam regiminis, sicut in **עֲזָרָתָא** *auxilium*; id quod *Kimchi in michl. & l. rad.* ut & in *comm. b. l.* de voce hac notavit. vide *p. 24. grammat.* Nec etiam alibi hæc forma legitur. *Kimchi* h. l. allegat simile **שֵׁנָה** *Psal. LXXXI, 6.* **כִּפְתָה** *Psal. LXV, 10.* **חֲכִמָה** *Jes. XXXIII, 6.* *Aben Esra* de somno accipit meridiano, similemque nominis formam **זְמַרָה** affert ex *Exod. XV, 2. Psalm. CXVIII, 14. Jes. XII, 2.*

**לְעַפְעַפִּי** *palpebris meis*: ] mutatis verbis repetitur res eadem; æque ut *Prov. VI, 4.* ne des somnum oculis tuis **לְעַפְעַפִּי** *ubi eadem,* tum vocabula, tum hyperbolica etiam indultriæ summæ descriptio. vide illic dicta. Ita & *Kimchi* hîc ait **רַרְרַר** *modum loquendi hyperbolicum, q. d. hautquaquam gratus mihi erit somnus in lecto, aut comoratio in domo, donec &c.* Hyperbolen agnoscit hic etiam *Calvinus. R. Obadia:* non dabo somnum, plusquam scilicet naturæ necessitas postulat. *Coppen.* nil ago, quin ista me tangat cura, non tranquille oro, comedo, &c. semper enim angor de locō templi.

## EXPLICATIO VERSUS V.

**אֲנִי־נִצְוָה** *donec invenero*: ] divina scilicet revelatione de re hac arduâ informatus. Propriæ namque sagacitati nil quicquam hic tribuere licebat.

**מִקוּם** *locum pro Deo*: ] h. e. quorsum arcam fœderis reponere, templumque simul extruere, conveniat. Pertinet huc illud *1. Par. XXI, 28.* tempore illo, quum videret David se exauditum à Domino in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi: *vers. 30.* non potuerat David ire in conspectum ejus (ad altare holocausti in Gibeon, *vers. 29.*) quia territus erat propter gladium angeli Domini, *cap. XXII, 1.* dixitque David: hæc est domus Jehovæ Dei, & hic est altare in holocausto pro Israële